

Johann Fecht


Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Johannes Fechtius, D. ... Ad Funus, Quod ... Dnus. Samuel Starckius, SS. Theol. D. & aedis as S. Jacob. Cathedralis, Itemq[ue] ad S. Crucem Pastor de his aliisque officiis optime meritus Coniugi Suae Lectissimae, Matronae Sophiae Priestaffin/ Ad d. XXX. Iunii parat Omnes Omnium Ordinum literatos ... invitat : [P.P. Sub Acad. Sigillo d. XXX. Iunii, M.DC.XCVII.]

Rostochii: Weplingius, [1697]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn755911326>

Druck Freier  Zugang





KL-241(4)¹

Oldendorp: Warhafftige entschul-
dinge. Rostock, 1533

wurde aus dem Band gelöst.

Steht bei Rara -

KL-241. (4.) <SON>

bestrahlt 2000

PROGRAMMA

^{QVO}
RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS

JOHANNES FECHTIUS, D.

P.P. Consist. Duc. Adfess. & Distr. Rost. Superint.

AD FUNUS,

QVOD


Maxime Reverendus & Excellentissimus VIR,

DNUS. SAMUEL
STARCKIUS,

SS. Theol. D. & ædis ad S. Jacob. Cathedralis,
itemq; ad S. Crucem Pastor, de his aliisque officiis
optimè meritus


CONJUGI SUÆ LECTISSIMÆ,

Matrona Nobilissima & Pientissima,

SOPHIAE  Bristaffin/

AD D. XXX, JUNII,
parat

*Omnes Omnium Ordinum literatos, Academia Urbisq; Proceres, Do-
ctores, Licentiatos, Ecclesie Ministros, Pbilosophia Ma-
gistros, reliquamq; Optimorum Studiorum Juventutem
quâ facta est, humanitate invitat.*



Rostochii, Typis JOH. WEPPLINGII, Univ. Typog.



Non immerito mireris, qui interdum Gentilium etiam sapientissimi in sententias prolabi potuerint, quæ non tantum sapientiæ è diametro adversentur, sed quæ ipsammet rationem, quæ homo homo est, plane conculcatum eant & protritum. Numa Pompilius, Romanorum Rex, quem & ob sapientiam & ob religionis studium laudavit antiquitas, sanxisse publica lege fertur, ut liberi quidem, nequaquam verò uxores à maritis deflentur. Quamcunque rationem effati sui constituerit Pompilius, ea tamen tam febriculosa & pudenda est, ut vere pronuncies cum Paulo: Vanos factos esse in cogitationibus suis Gentiles, & obscuratum esse insipiens cor eorum. Dum dixerunt, se sapientes esse, stulti facti sunt. Quid enim, si Naturam, contempleris, ab omni adventitia stoliditate separatam, illa severius præcipit, & arctius inculcat, quam dolere virtutem, ex oculis sublatam. Condemnat illa merito & execratur tanquam bipedum omnium nequissimum, ingratiſſimumque, qui momento obliviscitur tot tantorumque beneficiorum, quibus ab amantissima sui, obsequentiſſimaque uxore tanto fuit tempore affectus. Ingratum verò si dixeris, omnia vitia dixeris. Jam si liberi Tibi deflendi sunt, quos nec sine uxore suscipere, nec educere sine ea potes, cur non & deflen-
da

da fuerit uxor, unicum tanti pignoris & procurandi & exornandi instrumentum. Emititur illa liberos cum exquisitissimo doloris sensu, patientia munit pectus suum, plus quam adamantina, non deterretur fastidiis, sine numero obrepentibus, non lassatur nocturnis vigiliis, caput omniaque membra debilitantibus, quotidianis involutum sordibus, detergere & mundare non erubescit, siti entem lactat, esurienti cibum porrigit, illacrymantem cantu solatur, labantem ducit manu & mille obit operas, molestissimas, tædiosissimas & finem nunquam habentes, donec ex stercore quasi extractum aliis committere possit. Nec tamen ideo curam suam deponit, illa potius cum ætate annisque crescit. Absente enim occupatoque patre sollicitudinem illa universam, non liberorum tantum, sed totius familiæ in se suscipit: Onus nonnunquam gravius, quam ut à Viro, si id ei imponeretur, posset sustineri. Si vir cum amicis sæpe integros dies delitietur, si suo indulgeat genio, bona uxor cochleæ instar domui suæ ita arcte, ita indivulse adhæret, ut vix ei liceat prospicere vel per fenestram. Non nego, reperiri quandoque, fœminas, quæ stellis istis, quas errantes vocant, sint similes. Hæ vivere non possunt, nisi vel ante ædium suarum fores, nitidissime vestitæ, vel centies per diem compareant, vel transcurrant frequenter plateas, & cum congerronibus dicacissime profusissimeque colloquantur. Non istæ bonarum probarumque fœminarum nomen merentur. Nec tamen ideo inficiandum est, plurimas fœminas graves, pias, officii sui memores vivere; quemadmodum ideo, quia nonnulli Viri in fornicibus tantum & lupanaribus, & locis lusui dicatis ætatem omnem terunt, bonis honestisque Viris nihil de sua laude decedit. Sed quid de ardentissimo amore, quo

)(2

fœmi-

ſcœmina virum complectitur, deque officiis, quæ ab illa
in eundem dimanant, dicemus? Viro domi ſedenti vultu
ad omnem hilaritatem composito adblanditur, mœſtum
iſſa lætiſſimi vultus exporrectione & oris iucundita-
te, quæ vel mel Atticum ſuavitate ſuperet, ſolatur.
Non eſt ullum argumentum, ad leniendum mariti do-
lorem idoneum, quin illa ſuggerat facunda nativæque
linguæ ſuæ eloquentia. Nunc medium Virum comple-
ctitur, nunc oſcula eidem inſigit, nunc genas ipſius con-
trectat, nunc ſociam ſe malorum ampliffimè offert, nunc
manu eundem tenet, delinitque oculos, ſemper bono ani-
mò eſſe jubet. Peregre abeunti veſtes adaptat, eun-
demque haud aliter, ac papam quendam ſollicite exor-
nat. Summo ſtudio cavet, ne vel capillitium minus de-
xtre inſideat capiti, vel collari rugæ adhæreant, gravi-
tatem faciei dehonestantes. Quælibet enim ſcœmina in-
defatigabili labore adnititur, ut pulcerrimum habeat
comiſſimumque maritum. Egreſſenti è domo co-
meſt, abeuntem millecupla benedictione perfundit,
premit manus, dimittit. Reduci ad oſtium domus ob-
viam procedit, ſalutat comi blandiloquentia, deducit
in domum, brachia, manus demulcet, feſſum cibo re-
creat potuque. Ægrotanti indivulſa affidet & ſuam-
met animam citius quàm maritum relinquit. Sed verò
ego fruſtra fuero, ſi coner recensere probæ uxoris erga
maritum officia, quæ planè ſunt & innumera & ineffa-
bilia. Quæ, malum! igitur Numam inſania cepit,
quod nefas duxerit, deſleri à viris uxores. Longe ta-
men perfectius deteſtabilem hanc ſcœminarum dehone-
ſtationem, reſellit ſanctior Chriſtianorum Philoſophia;
quæ uxorum non minus quam virorum funera honeſtiſſi-
me


me habenda esse luctuque prosequenda decernit. Novit hoc Vir Maxime Reverendus & Excellentissimus DN. SAMUEL STARCKIUS, S. S. Theol. Doct. celeberrimus, Aedisque D. Jacobo & S. Cruci dicatae Antistes bene meritissimus, qui dum uxorem suam lectissimam acerbo fato amisit, infinitas se causas habere fatetur, concessum sibi à DEO amoris pignus Christiano ritu deslendi. Nata illa est Anno M. D. C. XLV. ex antiqua pariter & honestissima hujus Provinciae PRISTAFFIORUM familia; Patre MATTHIA PRISTAFFIO, Pastore Brudersdorffensi in Praefectura Dargunensi, Matre JLSABE WITLINGIA, foemina ob solidam virtutum laudem in omnium tum ore posita. Quibus profata cum, adhibente imprimis curam Vitrico optimo DN. JOHNA BUGERO, P. B. non ad vana seculi studia, quae hodie plurimorum consuetudo est, sed ad ardorem colendi Numinis infucatum caeterasque virtutes, muliebrem sexum exornantes, educaretur, talem effecerunt, quae per totam postea vitam & domui fructuosa esset & Viro jucunda. Quae enim huic fundamento innititur educatio, ea sola solida est, sola scopum, quem & natura & DEUS huic sexui praestituit, assequitur. Quare diu Virgini expectandum non erat, ut procarentur ipsam ambientes. Vix evaserat nubilus & jam 17mo aetatis anno in matrimonium tradebatur Viro Plur. Reverendo DNO. DANIELI LIVONIO, Pastori Dargunensi & Röknizensi meritissimo. Statim hic tanquam in campo quodam, explicabat illas virtutes, quas à parentibus sedula educatione acceperat. Non conspiciebatur facile extra domum suam, hanc noverat ita gubernare ac si senilem prudentiam cum annis adolescentibus conjunxisset. Senle-
rat LIVONIUS profusam DEI benedictionem, hoc qua-
X 3 si orga-

si organo in se derivatam, suscepit quoque ex eadem, ipsi-
que iterum reddidit tria Conjugalis amoris pignora;
CHRISTIANUM, L.L. Cultorem, SOPHIAM, nu-
ptam primo Pl. Reverendo CHRISTIANO NEZE-
BANDIO, & hoc inter cælitates relato, Plur. Reverendo
JOACHIMO VALENTINO MOVIO, utriusque Pa-
stori Teteroviensi vigilantissimo; postremo JOHAN-
NEM, qui utrumque parentem jam puer ad cœlestia
gaudia præcessit. Cum verò DEO placuisset conjun-
ctissima hæctenus pectora per præmaturam Viri mortem
dissociare, illa, cujus jam virtus in ipsa matrimonii rei-
que familiaris tractandæ praxi clarissime enituerat, obscu-
ra esse aut inter vetera ferramenta latere non potuit. Tum
itaque, nempe 26. Septembris Anno M. DC. LXXVI, ut
omnis bonæ literaturæ, ita muliebrium virtutum & do-
mesticarum artium incorrupto Δοκιμασίῃ, Doctore
STARCKIO nostro, in secundum cum numeratione tum
felicitate matrimonium cessit. Vere dixeris, vix unquam
in arctiora summi tenacissimi que amoris fœdera virum
fœminamque coïisse. Ut enim una utriusque mens, u-
nus animus semper fuit, ita Viro incredibilis inde volu-
ptas & pectorum ex utraque parte combinatio oborta
est. Hinc uberrima DEI benedictio, in omnes familiæ
partes usque diffusa. Hinc solatium Viro, nunquam ul-
lo in dolore deficiens, nunquam animum excruciatum
non erigens atque confortans. Quæ enim DEUM serio
timebat, fieri non poterat, quin in id semper eniteretur,
ut & Viro bene esset, quem à DEO acceperat. Hunc
quintuplici filiorum filiarumque proventu beabat. RE-
GINA CATHARINA, nupta rarioris eruditionis
pietatisque Theologo, DN. HENRICO WIN-
KEN,


KEN, Pastori Levinensi, Viro tanti in studiis ardoris, ut vix
quonquam cum eo comparare queam. Ex qua nepotem
avia vidit ULRICUM SAMUELEM; JLSABE MARIA,
EL ISABETHA, ANDREA NATHANAELE, & SA-
MUELE CHRISTFRIDO. Qui in maternas paternasque
virtutes ita pulcerrime adolefcunt, ut vel in his æquius
ferre conjugis jacturam possit maritus. Ex hoc verò
mundo sequentem in modum discessit Matriona nostra.
Pridie festi S. Johannis morbo tentari cœpit. De quo
verba referam Excellentissimi Archiatri, BERNHAR-
DI BARNSTORFII. *Cardialgia continua, quæ Piissi-
me Defunctam Nostram Summe Reverendi Theologi, DN. D.
STARCKII, Conjugem dilectissimam, nunc cheu! Desidera-
tissimam, cum intensissimis doloribus, distensionibus, & anxi-
etatibus precordiorum, nec non insigni spirandi difficultate,
Lingvæ & faucium ariditate, siti immodica, & appetitu cibo-
rum plane prostrato, miserabiliter afflixit atque affecit, mali-
gnam sane & corrosivam humorum, pro causa habuit aerimo-
niam & tenacitatem, quâ omnium adhibitorum, oppidò aliàs
salutarium, remediorum usum, prorsus non saltem reddidit fru-
straneum; verum etiam tubulos & fibrillas nerveas ipsum ven-
triculum ejusque orificium præprimis sinistrum, undiqueq; cin-
gentes, & sensum exactissimum ipsi conciliantes, rodendo, scin-
dendo, pungendo, lancinando & crispando, adeò excruciat, ut
tractis tandem in consensum corde & cerebro, supervenien-
tibusque animi deliquiis & vehementissimis partium convulsioni-
bus, cum omnimoda sensuum sublacione, subitaneus pro dolor!
beatus tamen vite fuerit insecutus finis. Qui ei accidit d. 25.
Jun. hora 5. matutinâ, postquam brevi ante S. Cœnæ via-
tico instructa fuisset. Ita finivit nostra, ita deposuit cor-
pus, ita animam cœlo, unde vivificata immaculato
Christi*

Christi sanguine venerat, reddidit. Illa nunc meliorem,
nobilioremque vitam quam ante unquam, vivit. Sed
quomodo Tu hunc Tibi tam acerbum, tamque moestum
feres casum, optime Excellentissimeque Starcki? Ipsum
cor Tibi saucium est, quia dimidium cordis Tui à reliquo
corde avulsum est abscissumque. Non erat amor vester
perfunctorius, ipsas intimi pectoris fibras penetraverat,
& insederat animo, animo quasi nunquam evellendus.
Sed Tu tamen semper noveras, moriendum utrique ve-
strum esse, non esse, quidquam nisi in cœlo constans &
æternum. Ita ergo conversabimini invicem, ut qui de-
sinere aliquando & suspendere amica colloquia, in Gloria
olim resumenda, deberetis. Quare hanc moram mole-
sto ne fer animo, sed cogita, quanta cum ubertate ad-
consueti Tibi cum PRIESTAFFIA Tua gaudia olim sis
rediturus. DEI voluntas pro norma Tibi sit non abo-
lendi sed temperandi luctum. Nosti enim, hanc esse
Christianorum disciplinam, ab Apostolo prædicatam,
ne videamur similes Gentilibus, qui spem salutis defun-
ctorum suorum non habent. Id faxit Pater omnium Mi-
sericordiarum & Consolationum, ut ita cum Tuis omni-
bus hoc solatio perfruaris, nec ulla unquam vi ex pectore
Tuo eripi possit. Vos verò, Cives Omnium Ordinum
honoratissimi, Viro bene de Academia nostra, benè de
Ecclesia, benè de bonis omnibus merenti, hunc, quæso
vos rogoque, exhibete honorem, ut Funus Matronæ, quæ
in vitâ nulli unquam fuit molesta, officiosa vero in
omnes, frequenti comitatu
deducatis.


Convenietur in Templo Jacobæo
hora I. pomeridiana.
P.P. Sub Acad. Sigillo d. XXX. Junii, M. DC. XCVII.







the scale towards document



Quidem diversæ passim Philosophiæ
circumferuntur descriptiones, quas
singulas, & recensere, longum; & ad
rationis, in præsentiarum, libellam re-
vocare, tædiosum foret. Antiquissi-
mam ego primâ facio: tanquã à Philo-
sophorū, quos habemus, Primate la-
tã, omniumque, rectè philosophanti-
um, calculò, hactenus approbatã Pla-
tonis ea est, digna profectò Authore,
abus tantum voculis, **MEDITATIONE**, puta,
lvatur. Censebat Divinus ille Vir, tantò nos eva-
es, quantò vivaciùs consideremus mortem. Ne-
ipso falsus est, cùm, quodcunque in Philoso-
pho, circa mortis meditationem reperiamus. Mor-
tè, quæ rectam vivendi rationem monstrat, atque
vitæ, quales esse in morte desideramus. Ea, animum
quæ à verò nos abducere, aut aliquam, nomini
m notam inurere possunt. Ea est, quæ do-
m, timorem pellit, tranquillitatem inducit;
s casuum animum varietates firmat, adversus
reddit, quando omnia ab eodem impedi-
tantò paratior sit, sicubi res exiget, statim
quando est faciendum, statim exire, quo ali-
ndum, tabernaculo suo. Quæ enim ista mort-
st, aut socordia, cùm cognati simus DEO, cùm
terris animal, præter hominem, cognitione.
DE